



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Scriptoribus Ecclesiasticis Liber Vnus

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Coloniae Agrippinae, 1645

Seculum primum ab anno Dom. 1. ad 100.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64672)

& nunquam hoc testimoniū de Christo, Iosepho tribuissent, nisi sciissent verè ab illo auctore ita scriptum fuisse.

Omissi libros Rabinorum, qui plurimi sunt, quoniam pleni sunt fabulis Iudaicis, & erroribus perniciosis: neque verum esse arbitror, quod Io. Garetius, alii nonnulli scribunt, Rabinos aliquot, quorum opera nunc extant, scripisse ante aduentum Christi, video enim passim ab iis mentionem fieri euerisionis Hierusalem, & templi per Titum Vespasiani filium.

DE SCRIPTORIBVS ECCLESIASTICIS TESTAMENTI NOVI.

Seculum primum ab anno Dom.
I. ad 100.

De S. Petro Apostolo. Anno Dom. 34.



SANCTVM Petrum in Catalogo primum ponimus, & signamus anno 74. Quia illo anno Domini viuebat, & Ecclesiam regere cœperat.

Quamuis enim extet apud Eusebium lib. 2. hist. Eccles. cap. 1. Epistola Domini nostri IESV Christi scripta ad Abagarum Regem. Edessæ, tamen ea epistola nunquam fuit admitta ab Ecclesia inter quas sine dubio admitta fuisset, si ab ipso Domino scriptam fuisse constaret.

Quamuis etiam extent Cantica B. Virginis Mariæ, Zachariæ, & Simeonis, ea tamen non ab ipsis, sed à sancto Luca scriptis mandata fuerunt.

Denique quamuis inter epistolas sancti Ignatij Martyris inueniatur vna B. Virginis Mariæ ad ipsum Ignatiū, ea tamen non habetur in Græcis codicibus, neque eius meminerunt veteres Patres ante sanctum Bernardum: proinde non constat, an sit verè B. Virginis epistola.

Quod

Quod autē attinet ad ordinem inter scriptores Sacros testamenti noui, quoniam eodem vixerunt seculo, sequuti sumus ordinem quem Ecclesia sequitur in illis collocendis, tum in Latinis, tum in sacrificio Missæ.

Ergo sanctus Petrus Apostolus, & Christianorum summus Pontifex, & Vicarius Iesv Christi, qui est Sacerdos in æternum, anno Domini tricesimo tertio, vel secundum alios tricesimo quarto Ecclesiæ Christianæ præsidere cepit, & anno sexagesimo nono, vel secundum alios septuagesimo, martyrio coronatus est.

Sanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccles. scribit sanctum Petrum crucifixum fuisse anno quartodecimo Neronis. Sed sanctus Hieronymus Eusebii Chronicum secutus est. Verè enim Nero nõ imperauit annis quatuordecim, & mensibus octo, vt Eusebius scribit: sed annis tredecim, & mēsis septem, vt scribunt Suetonius, Dio, & alii: & quoniam imperare cepit à die quattodecima Octobris iisdem auctoribus, inde fit, vt sanctus Petrus, qui die vicesimo nono Iunii obiit, non anno quartodecimo, sed tertiodecimo Neronis obierit.

Scripsit epistolas duas, ac de priorē nulla vnquam dubitatio fuit: de posteriorē propter styli diuersitatem nonnulla apud aliquos ambiguitas fuit. Sed Ecclesia vtramque epistolam, & canonicam, & sancti Petri esse docuit in Concilio Laodiceno, Carthaginensi tertio, Florentino, & Tridētino: merito & Beda venerabilis admiratur, fuisse aliquos, qui epistolam illam sancti Petri fuisse dubitare potuerint, cum auctor Simonem Petrum se initio nominet, & afferat, se in monte sancto cum Christo fuisse in transfiguratione, & disertè dicat. Hanc secundam vobis scribo epistolam. Hinc enim sequitur, vt auctor huius epistolæ, vel fuerit insignis impostor, quod nemo vnquam dicere ausus est vel fuerit sanctus Petrus.

Cur autem diuersus esse videatur stylus prioris, & posterioris epistolæ, rationem reddit S. Hieronymus in ep. ad Hedibiam quæst. II. quoniam Apostolus non semper eodem interprete utebatur.

Addit sanctus Hieronymus in li. de Script. Eccles. multos

ros alios libros olim sub nomine S. Petri scriptos fuisse, quos ipse ibidem enumerat, sed omnino apocryphos imo spurios, & supposititios fuisse vel ex eo constat, quod nunquam ab Ecclesia, vel in Catalogum sanctarum Scripturarum redacti, vel in Bibliis sacris repositi: vel in templis recitati sint, & hoc tempore non ipsi solum, sed eorum nomina, & memoria euauerint.

De S. Paulo Apostolo. Ann. 35.

Sanctus Paulus Apostolus ab ipso Christo de cælo vocatus, & per cælestem reuelationem Euangelium plenissime edoctus repente de persecutore prædicator eximius factus, eodem anno & die, quo sanctus Petrus, martyrio coronatus est: cuius rei Eusebius in Chronico sanctus Hieronymus, de Script. Eccles. & omnis antiquitas testis est.

Scriptit epistolas quatuordecim:

Ad Romanos 1. Ad Corinthios 2.

Ad Galatas 1. Ad Ephesios 1.

Ad Philippenses 1. Ad Colossenses 1.

Ad Thessalonicenses 2.

Ad Timotheum 2. Ad Titum 1.

Ad Philemonem 1. Ad Hebræos 1.

Et quidem de primis tredecim nulla vnquam controuersia fuit. Epistolam ad Hebræos, test. sancto Hieronymo in l. de Script. Ecclesiast. alii tribuebant Barnabæ, alij Lucæ, alij Clementi Romano: nec defuerunt hæretici veteres, & recentiores, qui huic epistolæ auctoritatem detraxerent. Cæterum esse eam & verè canonicam, & à sancto Paulo scriptam, testis est Ecclesia Catholica vniuersa, quæ illam legit assiduè inter Missarum solemnia sub nomine B. Pauli Apostoli: testes sunt Patres Conciliorum supra citatorum: qui hanc epistolam in numerum diuinarum Scripturarum posuerunt: testes veteres Patres, qui eam ad probanda dogmata fidei passim adducunt. Vide, si placet, de hac epistola integram disputationem in *Controuersis nostris lib. 1. de Verbo Dei cap. 17.*

Præte

Præter has epistolas quatuordecim, fertur & alia sub nomine B. Pauli ad Laodicenses, sed ea (inquit S. Hieronymus in libr. de Script. Eccles.) ab omnibus exploditur.

Feruntur quoque sub eiusdem beati Pauli nomine epistolæ quædam breues ad Senecam: quas sanctus Hieronymus in eodem libro, in Seneca, non videtur contempnissse, sed Ecclesia Catholica neque epistolam ad Laodicenses, neque epistolas ad Senecam in Catalogo Scripturarum posuit, ac per hoc B. Pauli eas non esse censuit.

De S. Ioanne Apostolo. 34.

SANCTUS IOANNES APOSTOLUS, & EUANGELISTA, dilectus Deo, & hominibus, usque ad Traiani Imperatoris tempora peruenit, & sexagesimo octauo post passionem Domini anno, qui erat annus à natiuitate eiusdem Domini nostri, centesimus, vel centesimus primus, in pace quieuit: testes Eusebius in Chron. sanctus Hieronymus in libr. de Script. Eccles. & alii.

Scriptit Euangelium, Apocalypsim, & Epistolas tres, & quidem Euangelium, de quo nulla fuit vnquam dubitatio, scripsit post alios tres Euangelistas. Et quoniam sancti Apostoli breuitati studebant maximè, ideo sanctus Ioannes fere omnia prætermisit, quæ ab aliis scripta fuerant: ea si quidem sola repetiit, quibus aliquid addendum esse existimauit.

De Apocalypsi dubitatio aliqua fuit olim, apud Græcos præcipuè, & nunc est apud hæreticos nostri temporis quemadmodum etiam de secunda, & tertia epistola. Sed Ecclesia Catholica tum Apocalypsim tum epistolas illas duas, vt Euangelium, & Epistolam primam in numerum sanctarum Scripturarum sub nomine S. Ioannis recipit.

Vide Controuersias nostras lib. 1. de Verbo Dei, cap. 18. & 19.

De S. Matthæo Apostolo. 34.

SANCTUS Matthæus Apostolus primus omnium Euangelium scripsit, lingua patria, id est, Hebraica: testis est sanctus Hieronymus in libro de Script. Eccles. qui etiam vidisse se, & descripsisse affirmat Euangelium sancti Matthæi lingua Hebraicâ scriptum, & ante Hieronymum id ipsum testari sunt Epiphanius hæresi 29. quæ est Nazaretorum, Eusebius lib. 3. histor. cap. 24. & Irenæus li. 3. cap. 1.

Quis in linguam Græcam transtulerit Hebraicū Matthæi Euangelium, ignorari scripsit sanctus Hieronymus. Sanctus Athanasius in Synopsi scribit à sancto Iacobo fratre Domini fuisse expositum Euangelium S. Matthæi.

Vtrum illa expositio fuerit versio in Græcum non scimus. De hoc sacro libro nulla fuit vnquam dubitatio.

De S. Iacobo Apostolo. 34.

SANCTUS Iacobus Apostolus Epistolam vnâ scripsit, quæ de septem Catholicis est. Ac de ipso Iacobo, vt etiam de eius epistola nonnulla quæstio est.

Græci in Menologio tres Iacobos Apostolos celebrant, Iacobum Alphæi die nono Octobris, Iacobum fratrem Domini, die vicefimo tertio eiusdem mensis, & Iacobum Zebedæi die 30. Aprilis.

Sanctus quoque Hieronymus in lib. contra Heluidium meminit huius opinionis; quæ tres Iacobos facit, duos ex numero duodecim Apostolorum, & vnum extra numerum. Sed recte idem S. Hieronymus in eodem loco hanc opinionem refellit: nam idem omnino est Iacobus Alphæi, & Iacobus frater Domini, qui & minor dicitur in Euangelio: & duos tantum nouit, & celebrat Ecclesia Latina, Iacobum fratrem Ioannis die 25. Iulii, & Iacobum Alphæi fratrem Domini die 1. Maij.

Cur autem dicatur frater Domini, variè sentiunt auctores. Heluidius hæreticus ausus est dicere, dictum esse fratrem Domini, quod esset filius B. Virginis Mariæ ex Ioseph. Sed hæc hæresis est manifesta. Eusebius libr. 2. hist. cap. 1. & Epiphanius hæresi 78. volunt eum fuisse filium Ioseph de priore vxore, ac per hoc fratrem Christi

Christi eo modo, quo dicitur Ioseph pater Christi; videlicet licet putatitius, non verus.

Sed verius est, sanctum Ioseph fuisse perpetuo Virginem, vt erat eius sanctissima coniux: & Iacobum fuisse filium Cleophæ, qui Cleophas fuit frater S. Iosephi, hinc enim Maria Cleophæ dicitur soror Matris Domini Ioan. 19. quia erat vxor Cleophæ fratris Ioseph: vñtatam enim est, vt coniuges duorum fratrum sorores nominentur: & quemadmodum Maria Cleophæ dicebatur soror Mariæ Matris Domini sic etiam Iacobus dicebatur frater Domini, quia erat filius sororis Matris Domini.

Hanc sententiam colligo partim ex Egesippo, partim ex Euangelio: Egesippus enim apud Eusebium lib. 3. hist. cap. 1. ex versione Ruffini, dicit, Simeonem fuisse consobrinum fratrem Saluatoris, quia erat filius Cleophæ fratris Iosephi Sponsi Beatæ Mariæ matris Domini.

Porro sanctum Iacobum minorem fuisse fratrem Simonis, & Ioseph, & Iudæ, testatur Euangelium S. Matthæi cap. 1. & Marci cap. 6. vbi dicuntur fratres Domini Iacobus, & Simon, & Iudas: & hoc idem testatur Epiphani, hæresi 78. quare si Simon, siue Simeon (idem enim est nomen) erat frater Iacobi, & Simeonis pater erat Cleophas frater Iosephi, certè sequitur, vt pater Iacobi fuerit Cleophas, non Ioseph.

Neque huic sententiæ repugnat, quod sanctus Iacobus minor dicatur in Euangelio Iacobus Alphæi: potest enim fieri, vt pater sancti Iacobi fuerit binomius, quemadmodum sanctus Matthæus dicitur etiam Leui, & S. Petrus dicitur etiam Simon; & obseruat S. Hieronymus in libr. contra Heluidium, in sacris Scripturis, multos esse binomios.

Quod attinet ad epistolam eius, non defuerunt olim, qui de eius auctoritate dubitarent, vt etiam hoc tempore ab hæreticis in dubium reuocatur. Sed certissimè epistola sacra, & canonica est, de qua re vide quæ scripsimus lib. 1. de verbo Dei cap. 18.

Extat nomine S. Iacobi Proto Euangelium, sed ab Ecclesia nunquam receptum.

Ex-

Extat etiam Liturgia eidem S. Iacobo attributa, quæ tamen à posterioribus ita locupletata est, vt non sit facile diiudicare, quæ pars eius Liturgiæ S. Iacobum habeat auctorem.

Obiit hic beatissimus Apostolus glorioso martyrio coronatus anno septimo Neronis, vt scribit S. Hieronymus in lib. de Scriptorib. Ecclesiast.

Quod autem Epiphanius scribit hæresi 78. obiisse sanctum Iacobum anno ætatis suæ nonagesimo sexto, non videtur probabile. Fundamentum enim huius numeri est opinio illa falsa Epiphaniæ, quod sanctus Ioseph anno quadragesimo ætatis suæ genuerit Iacobum, deindè anno octogesimo viduus existens, acceperit Mariam coniugem, quo tempore fuisset Iacobus annorum quadraginta quibus si addamus triginta tres annos Domini, & viginti quatuor quibus post Ascensionem Domini Iacobus superuixit, vt idem Epiphanius dicit, fient anni Iacobi nonaginta sex compleri.

Sed hic multa sunt improbabilia, nam nec probabile est, Iacobum filium fuisse Ioseph: nec Ioseph annorum octoginta accepisse Mariam in coniugem, nec Iacobum electum esse ad Apostolatam, cum esset penè decrepitus; nec eundem Iacobum superuixisse solum annis viginti quatuor, cum ex communi opinione gubernauerit Ecclesiam Hierosolymitanam annis triginta, & obierit anno septimo Neronis.

De S. Iuda Apostolo. 34.

Sanctus Iudas frater Iacobi Apostolus ex duodecim vnam, eamque breuem scripsit epistolam, quam Ecclesia, vt sacram, & canonicam recipit.

Vidè quæ scripsimus lib. 2. de Verbo Dei, cap. 18. De obitu huius Apostoli nihil habemus certi.

De S. Marco Euangelista. 44.

Sanctus Marcus Euangelista martyrio coronatus anno octauo Neronis, breue scripsit Euangelium: testis sanctus Hieronymus in libro de Scriptorib. Eccles. Græcè

C

scriptum

scriptum initio S. Marci Euangelium, scribunt sanctus Hieronymus in præfatione ad Damasum, & sanctus Augustinus lib. 1. cap. 2. de consensu Euangelistarum. Latine autem scriptum, testatur Damasus in vita sancti Petri, quæ ponitur ad initium primi tomi Conciliorum: testantur etiam Syri, qui ad finem Euangelii secundum Marcum scribunt, Euangelium sancti Marci Romæ, & lingua Romana scriptum.

Sed quicquid de hac re sit, satis constat, Latinam veterem, & vulgatam editionem tam Matthæi quam Marci ex Græca editione translata.

De S. Luca Euangelista. 44.

SANCTUS Lucas Euangelista sancti Pauli comes, & sectator, vixit annos octoginta quatuor uxorem non habens: scripsitque duo sacra volumina, Euangelium, & Acta Apostolorum: testis Hieronymus in lib. de Scriptoribus Eccles. Neque de his vlla controuersia est.

De Auctore libri, qui Pastor inscribitur.

HERMESEN siue Hermes librum scripsit apud veteres valde celebrem, quem inscripsit, Pastorem. Is liber quamuis à sancto Hieronymo in lib. de Script. Ecclesiast. utilis esse dicatur, & nomine scripturæ à sancto Irenæo lib. 4. cap. 37. citetur: & ab aliis antiquissimis Scriptoribus, vt Clemente Alexandrino, & Origene in testimonium adducatur: tamen nunquam fuit in Canone sanctorum, & diuinorum librorum: nam Gelasius in Concilio Romano inter apocrypha scripta illum reiecit: & sanctus Hieronymus in prologo Galeato: & sanctus Athanasius in libro de decretis Nicænæ Synodi, & Eusebius, lib. 3. hist. cap. 3. dicunt hunc librum non esse in canone, quod idem scripsit Tertullianus in lib. de pudicitia.

Quamuis autem hic liber multa vtilia habeat, vt sanctus Hieronymus scribit: habet tamen etiam aliqua noxia, vt de vnica pœnitentia secundum errores Nouatianorum, quibus hic liber omnino fauere videtur: vt etiam illud

Illud de duobus geniis, siue de duobus Angelis vno bono & altero malo, singulis hominibus à Deo triburis, quem errorem ex hoc auctore accepit Io. Cassianus, eumque posuit in tertia decima collatione cap. 12. & ante eum Origenes hom. 35. in Lucam.

Quis autem iste Hermam fuerit non parua questio est. Nam Origenes in cap. 16. ad Romanos, Eusebius libr. 3. histor. cap. 1. & sanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccles. dicunt hunc esse illum Hermam, quem saluari iubet Apostolus in epist. ad Roman. cap. 16. cum ait, Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam, & cæt. Damasus autem, siue potius Anastasius Bibliothecarius in vitis Pontificum, quæ habentur ad initium primi tomi Conciliorum scribit, Hermam, siue Hermetem auctorem libri Pastoris fuisse fratrem sancti Pij Romani Pontificis, & librum appellatum esse Pastorem, quoniam Angelus in habitu Pastoris Hermeti apparuerat, & vt ea scriberet, quæ illi reuelauerat, iusserat.

Non videtur autem fieri posse vt Hermes frater Pij Pontificis ille sit, quem Apostolus saluari iusserat in epist. ad Romanos: nam inter illam salutationem, & Pontificatum Pij intercedunt, vt minimum, anni centum, & qui salutabatur ab Apostolo, non erat infans recens natus, sed vir aliquis grauis, notus Apostolo ex operibus bonis: proinde non est probabile, illum superuixisse vsque ad tempora Pij Pontificis.

Deinde scribit S. Hieronymus loco notato, librum Pastoris apud Græcos fuisse notissimum, apud Latinos pene ignotum: at si auctor libri fuisset homo Latinus, & Romani Pontificis frater, debuisset liber ipsius notior Latinis esse, quam Græcis.

Existimo igitur diuersos esse auctores, & diuersos eorum libros, quamuis idem fere nomen gererent: nã præterea, quæ dicta sunt, is, qui ab Apostolo saluari iubetur, vocatur Hermam, frater Pij dicitur Hermes: deinde liber, qui scriptus dicitur à fratre Pontificis, præcipue continebat mandatum Domini per Angelum, vt Pascha die Dominico celebraretur: at in libro Pastoris, qui à

veteribus citatur, & qui adhuc extat, nulla mentio fit Paschatis celebrandi die Dominico. Quare probabile est librum Hermetis, fratris Pontificis cito interiisse: & solum reliquum esse illum celebriorem, quem scripsit Herimam discipulus apostolorum.

Quod etiam confirmatur ex eo, quod sanctus Irenæus lib. 4. cap. 37. citans eum librum dicit, Benè ergo scriptura dicit; primo omnium crede, quoniam vnus est Deus. Neque enim Irenæus scripturam absolutè vocaret librum auctoris sui temporis, & qui Apostolus, vel Apostolorum auditor non fuisset.

De Prochoro, vno ex primis septem Diaconibus.

Prochorum fuisse vnum ex primis septem Diaconibus testatur sanctus Lucas in Actis Apostolorum cap. 6. Sed narratio, quæ sub eius nomine extat in Bibliotheca sanctorum Patrum, videtur omnino conficta. Nam quod in ea legitur, sanctum Ioannem Apostolum, & Euangelistam, cum ei sorte obtigisset Asia, grauissimè id tulisse, ac vehementer ingemuisse, seque ad pedes aliorum apostolorum abiecisse, atque propterea à sancto Petro fuisse reprehensum, indignum omnino est tanto Apostolo.

Quod in eadem narratione scribitur, postea quàm S. Ioannes ex olla feruentis olei illæsus exiuit, à fidelibus, qui illic aderant, Ecclesiam in eius honorem fuisse constructam, incredibile est. Qui enim id auderent in oculis sæuientis Domitiani?

Quod denique in eadem narratione dicitur, Euangelium à sancto Ioanne in Insula Pathmo fuisse conscriptum, repugnat communi sententiæ, quæ habet Euangelium à sancto Ioanne scriptum fuisse diu post exilium Pathmos, in vltima sua ætate.

Vide sanctum Athanasium in Synopsi extrema, vbi dicit, Euangelium prædicatum quidem à S. Ioanne in Pathmo, sed editum Ephesi post reditum ab exilio. Cui consentiunt Eusebius lib. 3. histor. cap. 24. Ephemianus in hæresi quinquagesima prima, Hieronymus in lib. de Script.

Script. Eccles. Victorinus , & Primasius in expositione Apocal. Beda, Rupertus & alii initio expositionis in Ioannem.

Fortasse hæc Prochori narratio de rebus gestis S. Ioannis, est liber ille , qui sub nomine Circuitus Ioannis, inter apocrypha recensetur à sancto Athanasio in Synopsi.

De Sancto Lino. 70.

Similis narrationi Prochori est narratio, quæ sub nomine sancti Lini extat in Bibliotheca sanctorum Patrum. Narrat enim auctor ille multa de actis S. Petri, quæ vel falsa, vel dubia sunt, neque testimonium habet hoc opusculum S. Lini à veteribus.

Inter alia scribit auctor, Agrippam fuisse Præfectum Urbis tempore passionis sancti Petri, atque ab isto Agrippa fuisse sanctum Petrum occisum, sine consensu Imperatoris Neronis, à quo etiam id factum postea fuisse improbatum.

Sed neque constat Præfectum Urbis tunc fuisse Agrippam: & necem sancti Petri Neroni displicuisse, repugnat omnibus veteribus Patribus.

In eadem narratione scribit auctor, uxorem Albani secundum doctrinam S. Petri, repudiasse thorum viri sui ob amorem castitatis, inuito & reclamante marito.

Hæc vero doctrina S. Petri esse non potest, cum repugnet doctrinæ Coapostoli eius Pauli, 1. Corinth. 7. Fateor quidem à sancto Lino conscripta fuisse Acta sancti Petri vel potius Acta sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, quod aliqui dicunt, & de Actis sancti Petri in Romano Breuiario legitur: sed ea non extare, & loco eorum supposita fuisse, quæ nunc extant, arbitramur.

De S. Clemente Romano. 92.

Clemens Romanus, qui anno tertio Traiani martyrio coronatus est, cum sedisset in Apostolica sede annos nouem, multa scripsisse fertur, videlicet:

Epistolas duas ad Corinthios.

Duas ad Iacobum fratrem Domini.

Tres ad diuersos.

Libros decem recognitionum.

Libros .conflitur Apostolicarum.

Canones Apostolorum.

Itinerarium Sancti Petri.

Disputationem sancti Petri cum Apione: & Liturgiam.

Epistola prior ad Corinthios non extat, eius tamen mentionem faciunt passim veteres Patres, vt epistolæ grauissimæ, & epistolæ sancti Pauli ad Hebræos per quã simillimæ. Vide sanctum Irenæum lib. 3. cap. 3. Clementem Alexandrinum lib. 7. Stromat. Eusebium lib. hist. cap. 12. & sanctum Hieronymum in libro de Script. Eccles.

Epistola posterior ad Corinth. neque extat, neque ab Ecclesiis probatur, vt S. Hieronymus testatur loco citato.

Epistolæ quinque quæ nunc extant, non carent scrupulo. Nam constat sanctum Iacobum, ad quem scribuntur duæ epistolæ, obiisse multo ante S. Petrum, & tamen in his significatur Iacobo mors S. Petri. Sed forte epistolæ scriptæ sunt ad Simeonem fratrem Iacobi non ad ipsum Iacobum. In epistola quinta laudatur communitas omnium rerum, etiam vxorum: & totus hic locus desumptus est ex libr. 10. recognitionum, vbi hæc dicuntur à Faustiano Ethnico & à sancto Clemente refutantur. Sed forte hæc irreperunt, & in codice Vaticano non inueniuntur.

Scripsisse Clementem alias quoque epistolas, præter illam celebrem ad Corinthios, testatur S. Hieronymus in lib. 1. aduersus Iouinianum, vbi dicit, Clementem in suis Epistolis omnem pene sermonem de Virginitatis puritate contexere: quas laudes Virginitatis in epistolis, quæ extant, non reperimus.

De Recognitionibus eiusdem Clementis non habeo aliquid certi, quamuis non pauca vtilia documenta contineant, & à viris doctis aliquando citentur: tamen probabile existimo, vel non esse Clemētis, vel esse idem opus cum

eum eo, quod itinerarium, vel circuitus Petri aliqui vocant: Nam teste Epiphanio hæresi 30. Clemens ipse testatur, circuitus Petri à se conscriptos, ab hæreticis depravatos fuisse. Vere enim in Recognitionibus describuntur itinera sancti Petri & sancti Clementis, & admiscentur disputationes ex media Platonis philosophia depromptæ, quas nullo modo credibile est S. Petri esse.

Quod si Recognitionum, & Itinerarij, idem sit opus, satis constabit, esse apocryphum. Itinerarium enim inter apocrypha retulerunt sanctus Athanasius in Synopsi, Sanctus Gelasius in Concilio Romano, unde extat caput sancta Romana. dist. 16. & Leo nonus in epistolis aduersus Nicetam. Verum quidem est, Recognitionum numerari libros decem, & Itinerarij libros octo: sed facile fuit corruptoribus addere, vel minuere, vel mutare.

De libris Constitutionum Apostolicarum, quæ Clementi auctori tribuuntur, idem ferè iudicium fieri debet, ac de libris Recognitionum. Multa enim in illis vtilia sunt, & à Græcis veteribus magni fuit: sed in Ecclesia Latina nullum fere nomen habent: & ipsi etiam posteriores Græci in Concilio Trullano can. 2. improbant has constitutiones, vt ab hæreticis deprauatas.

Audio Æthiopes his constitutionibus vti, vt vere Apostolicis, & ea de causa in erroribus versari circa cultum Sabbati, & diei Dominicæ, & circa ministrum Sacramenti baptismi, & aliis quibusdam dogmatibus: nam lib. 7. c. 24. iubent seruari diem Sabbathi, & Dominicæ, & libr. 5. constitut. cap. 10. prohibetur absolute, ne laici baptizent, & libro sexto, cap. 15. iubent rebaptizari eos, qui baptizantur ab hæreticis, ea de causa, quia heretici non sunt Sacerdotes.

Ac ne forte obiiceretur quod Phillippus Diaconus baptizabat, vt dicitur Act. 8. In iisdem constitutionibus li. 6. cap. 7. dicitur, Phillippum, qui baptizauit Simonem Magum, fuisse Apostolum. Quod manifeste falsum est.

Habentur in iisdem constitutionibus alia non pauca, quæ abhorrere videntur à veritate, vt quod libr. 3. cap. 2.

quartas nuptias appellent, manifestam fornicationem. li. 5. cap. 6. distinguant Mariam Magdalenam à Maria sore re Lazari lib. 8. cap. 14. Iacobum fratrem Domini non velint esse Apostolum ex duodecim, & libr. eodem cap. 26. 27. & 28. velint imponi manum Subdiacono, & Lectori, & ipsi etiam Diaconissæ dum ordinantur, & libr. eodem cap. 32. dicant, Exorcistas non ordinari, & cap. 38. dicant ancillam soli Domino obsequentem recipi, si cum aliis intemperans fuerit, reiici.

De canonibus Apostolorum à Clemente scriptis maior est difficultas: nam ab vna parte Tertullianus in libro aduersus Praxeam scribit, canones Apostolorum esse nobis per manus traditos. Sanctus quoq; Athanasius in Synopsi eos numerat inter agiographa. Synodus Trullana cap. 2. recipit canones Apostolorum octoginta quinque. Denique sanctus Ioannes Damascenus libro quarto, de fide Orthodoxa cap. 18. videtur eos ponere inter sacras Scripturas.

At contra, Gelasius Papa in Concilio Romano, vnde extat caput, sancta Romana, distinct. 15. expresse dicit, liber canonum Apostolorum apocryphus: & hoc idem confirmatur distinct. 16. can. 1. & 2. Sed hæc conciliari possunt, si dicamus, canones legitimos esse solum quinquaginta priores: reliquos non esse legitimos, quâuis à Græcis recipiantur. Sic enim Urbanus Secundus apud Gratianum distinct. 12. can. præter. §. sciendum, dicit, canones Apostolorum ex toto à Græcis, ex parte à Latinis recipi: & Humbertus Cardinalis clarius idem dicit, cuius testimonium sub nomine Leonis noni ita refert Gratianus dist. 16. can. Clementis. Apostolorum, inquit, canones numerât Patres inter apocrypha exceptis capitulis quinquaginta, quæ decreuerunt Orthodoxæ fidei tractatores adiungenda. Hincmarus quoque, vt testatur Franciscus Turrianus libro primo pro epistolis Decretalibus cap. 15. scribit canones Apostolorum ab Ecclesia nobis traditos esse solum quinquaginta: & ante hos omnes Dionysius Exiguus quinquaginta solum canones Apostolorum in sua collectione posuit.

Deni-

Denique in antiquis codicibus Conciliorum, non inveniuntur canones Apostolorum, nisi quinquaginta. Et verè canones qui errorem sapiunt, & ab hæreticis superadditi videntur, sunt canones posteriores, vt can. 65. de sabbato non ieiunando, & 67. de baptizatis, vel ordinatis ab hæreticis. & 84. de numero librorum sacrorum: in quo canone multa sunt errata manifesta. Quod vero Gratianus dicit initio distinctionis sextæ decimæ canones Apostolorum auctoritate Zepherini Papæ esse sexaginta fortasse vitio librariorum erratum est in numero.

De disputatione sancti Petri cum Apione, & de Itineratio eiusdem S. Petri, quod non extat, nisi fortè (vt supra diximus) idem sint Itinerarium, & Recognitiones, non est multum laborandum: ab initio enim reprobata leguntur tum apud S. Hieronymum in libro de Script. Eccles. tum apud sanctum Athanasium in Synopsi.

De Liturgia S. Clementis idem ferè dicendum occurrit, quod de Liturgia S. Iacobi, eam verè Clementis esse sed à posterioribus auctam: credibile autem est, Clementem non ex proprio iudicio, sed ex ritu, quem obseruari viderat à S. Petro, Liturgiam composuisse: quemadmodum & ipse sanctus Petrus nihil aliud faciebat in offerendo sacrificio Eucharistico, nisi quod ipse Dominus fieri iusserat. Memiserunt Liturgiæ S. Clementis Proclus Patriarcha Constantinopolitanus lib. 7. de traditione diuinæ Missæ, & Nicolaus Episcopus Methonensis in lib. de veritate corporis Christi, & Bessarion Cardinalis in lib. de Sacramento Eucharistiæ.

De Sancto Ignatio 71.

SANCTUS Ignatius Episcopus Antiochenus, post sanctum Petrum Apostolum & sanctum Euodium sedere cœpit anno Domini 71. & sedit annis 40. & Romæ passus est anno vndecimo Traiani, teste sancto Hieronymo in libro de Script. Eccles. scripsit Epistolas vtilissimas, vt testatur sanctus Polycarpus eius æqualis, qui in epistola ad Philippenses dicit, se collegisse epistolas Ignatii quotquot inuenire potuit.

Euse.

Eusebius lib. 3. hist. cap. 30. septem enumerat epistolas sancti Ignatii, ut etiam sanctus Hieronymus loco citato, vnam ad Ephesios, alteram ad Magnesianos, tertiam ad Trallianos, quartam ad Romanos, quintam ad Philadelphios, sextam ad Smyrnæos, septimam ad Polycarpum, præter has inueniuntur aliæ quinque ad Mariam Cassabolitam vna, ad Antiochenos altera, ad Tarsenses tertia ad Philippenses quarta, ad Heronem quinta. Atque hæc quinque epistolæ, quamuis ad manus Eusebii, & Hieronymi non peruenerint, tamen ob styli similitudinem, & spiritum vere apostolicum à viris doctis omnino recipiuntur.

Tres aliæ circumferuntur, ad B. Virginem Deiparam vna, & ad sanctum Ioannem Euangelistam duæ, quibus additur epistola B. Virginis ad Ignatium. Harum, primus (quod sciam) meminit S. Bernardus (serm. 7. in Psalmum, Qui habitat: sed neque in codicibus Græcis habentur, neque grauitatem eloquii S. Ignatii omnino redolent.

Vnum hoc loco admonendum videtur, non esse magnam fidem habendam codicibus Græcis, qui nunc extant, quando discrepant à Latinis: sæpè enim emendatiores inueniuntur codices Latini, quam Græci: quod verum esse intelliget, qui conferet testimonia, quæ ex Ignatio citant sanctus Athanasius in epistola ad Epictetum, & Theodoretus in Dialogis, cum verbis eiusdem Ignatii, quæ nunc habentur in codicibus Latinis & Græcis.

De sancto Polycarpo. 71.

SANCTUS Polycarpus Episcopus & martyr, vnam scripsit epistolam egregiam ad Philippenses, quæ cum epistolis sancti Ignatii circumfertur: eius epistolæ meminit sanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccles. & Eusebius lib. 3. hist. cap. 30. alias 36. Vixit tempore S. Ignatii, sed superuixit vsque ad Imperium M. Antonini, ut idem S. Hieronymus in eodem loco testatur.

De S. Dionysio Areopagita. 71.

SANCTUS Dionysius Areopagita sancti Pauli Apostoli discipulus fuit teste sancto Luca Act 17. Quamuis au-
gem

rem à nonnullis dicatur martyrium subiisse sub Domitiano, contra tamen sentiunt alii, quoniam ipse idem sanctus Dionysius in libro de Diuinis nominibus cap. 4. nominatim allegat S. Ignatii verba ex epistola ad Romanos: quã epistolam scriptam esse constat anno vndecimo Traiani, quo anno sanctus Ignatius martyrio coronatus est. Scribit autem (inquit Areopagita) & diuinus Ignatius, amor meus crucifixus est: hæc autem verba in epistola ad Romanos leguntur: quomodo igitur potest Dionysius obiisse tempore Domitiani, qui Traianum præcessit, si citat epistolam scriptam vndecimo anno Traiani? Existimamus igitur S. Dionysium fuisse quidem sanctorum Ignatii, & Polycarpi æqualem, sed superuixisse vsque ad Imperium Hadriani.

Opera sancti Dionysii quæ nunc extant hæc sunt:

De Cœlesti Hierarchia, lib.	I
De Ecclesiastica Hierarchia.	I
De Diuinis nominibus.	I
De Mystica Theologia.	I
Item Epistolæ ad Caium.	4
Ad Dorotheum I. Ad Sosipatrum.	X
Ad Polycarpum I. Ad Demophilum.	I
Ad Titum I. Ad Apollophanem.	1
Ad S. Ioannem Apostolum.	2

Ferebatur & vna ad B. Paulum: sed ab omnibus merito reiecta est.

De cæteris operibus viri docti, & Catholici nihil dubitant. Soli hæretici Lutherani, & quidam Scioli, Erasmus, Valla, & pauci alii opera supra numerata negant esse sancti Dionysii Areopagitæ.

Sed (vt alia nunc omitam) ad auctoritatem his operibus conciliandam satis esse debet, quod hæc opera probentur à sancto Gregorio Papa homil. trigesima quarta in Evangelia, à sancto Martino Papa, & martyre in Concilio Romano, à sancto Agathone Pontifice in epistola ad Imperatorem Constantinum IV. & à Nicolao I. in epist. ad Michaelem Imperatorem. Item à Concilio VI. generali Act. 4. & à Concilio VII. Act. 2. Denique à sanctis Doctoribus

ribus

ribus plurimis, qui in hæc opera, tanquam germana sancti Dionysij Areopagitæ, commentaria scripserunt, vt à S. Maximo, monacho, à S. Thoma, & aliis.

Quod autem ante S. Gregorium Romanum nemo horum operum nomine sancti Dionysij Areopagitæ meminerit: causa videtur esse, quod alicubi latuerint, vt multa alia sæpè longo tempore delitescunt: & circa tempora sancti Gregorii reperta fuerint.

Quod enim quidam dicunt citari nominatim hæc opera ab Origene homilia quadam in primum cap. Ioannis, & ab Athanasio in quæstionibus ad Antiochum qu. 8. nihil efficit: nam in homilia illa nominantur Ariani, qui diu post Origenem exorti sunt: & in quæstionibus ad Antiochum nominantur auctores ipso Athanasio posteriores: ex quo sequitur vt illa testimonia esse non possint Origenis, vel Athanasij, sed recentiorum auctorum.

Scribunt quidem Liberatus Abbas in Breuirario cap. 10. & Athanasius Bibliothecarius in epistol. ad Carolum Caluum Imper. citari Dionysium Areopagitam à Ioan. Chrysostomo, & Cyrillo Alexandrino, sed quæ illi citant, non inueniuntur in locis citatis.

De sancto Martiale Episcopo Lemouicensi.

Sanctus Martialis I. Episcopus Lemouicensis, dicitur scripsisse duas epistolas, vnam ad Burdegalenses, alteram ad Tolosanos, quæ extant in Bibliotheca sanctorum Patrum. Sed multa sunt; quæ eas epistolas suppositicias esse indicare videantur.

Primum enim auctor harum epistolarum dicit, se cum Christo vixisse, antequam crucifigeretur, Martialis autem Episcopus primus Lemouicensium missus fuit ad eam Urbem, Decio Augusto, & Grato Coss. anno Domini 254. vt Gregorius Turronicus testatur lib. 1. histor. c. 10. quare necesse est, vel Martialem vixisse fermè 300. annis, vel titulum epistolarum esse falsum, qui auctorem præfert Martialem Episcopum Lemouicensem, vel Epistolas esse confictas.

Dein-

Deinde in secunda epistola cap. 8. scribit auctor à se baptizatum Stephanum Regem, & quendam alium Tyrannum cum Satrapis suis. Atqui tempore Apostolorum & etiam tempore Decii Imperatoris, non habuit Gallia viros Reges, sed Imperio Romano subiecta erat. Primum enim Regem, Romanis expulsis, fuisse in Gallia Clodium Comatum Faramundi filium post annum Dom. 400. testantur omnes historici, Gregorius Turronicus li. 2. cap. 9. qui eum vocat Clogionem, Ado Viennensis, Abbas Urspergensis, Aimonius, Paulus Emilius, Robertus Gaguinus, Papius Massonius, & alii.

Tertio, dicit idem auctor eodem loco, templa Idolorum euersa fuisse, & Ecclesias ædificatas auctoritate Regia ipso suo tempore: quæ videntur manifestè falsa, certè pugnant cum historiis Gregorii Turronici Adonis & aliorum.

Quarto, in epistola eadem cap. 9. citantur verba scripturæ Geneseos secundum S. Hieronymi versionem, quod etiam in vtraque epistola passim cernitur. Id vero signum est apertissimum nouitatis.

Quinto, in eadem epistola cap. 13. scribit auctor se interfuisse cum aliis discipulis quando Iudas osculo Dominum prodidit. Atqui hoc videtur repugnare Euangelio. Siquidem Marcus cap. 14. & Luc. ca. 22. dicunt Christum cum duodecim ultimam cœnam celebrasse, & cum eisdem in hortum ingressum, ac deinde Iudæ obuiam iuisse.

Sexto in epistola eadem, c. 8. dicit, Valeriam quandam in ipsa Gallia martyrio coronatam. Id vero repugnat Sulpitio lib. secundo sacre historię, & Gregorio Turronico lib. 1. cap. 28. histor. Francorum, qui scribunt, temporibus M. Antonini primum intra Gallias martyria visa.

Multa sunt alia, quæ his epistolis fidem detrahere videntur. Alioqui autem piæ sunt, & ex iis non pauca dogmata Ecclesiastica confirmari possent aduersus nostri temporis hæreticos, si de tempore, quo scriptæ sunt, planè constaret.

De

De Abdia Babylonio.

Abdias Babylonius, vnus ex discipulis Domini fuisse dicitur. Sed vitæ Apostolorum, quæ sub nomine eius circumferuntur fabulis similiores sunt, quam vitæ narrationi. Sed neque eius Abdia, aut libri eius vllam in veteribus mentionem inuenio.

De Presbyteris Achaia, qui S. Andrea passionem scripserunt.

Exrat Passio S. Andreae Apostoli sub nomine Presbyterorum Achaia, qui dicunt se scripsisse ea, quibus ipsi interfuerunt. Audiui aliquando magnum quendam virum, eam historiã in dubium reuocantem. Sed certe non videtur negari posse quin vera & antiqua, & utilis historia sit.

Petrus Damiani, qui ante sexcentos annos floruit, in serm. 2. de sancto Andrea, de hac historia sic loquitur; Non immerito in singularem auctoritatis arcem suscepta est, quam qui viderunt, scripserunt, & ministri fuerunt sermonis: Sanctus etiam Bernardus in serm. de S. Andrea, in vigilia eius, & in duobus, quos habuit in die festo, miris laudibus effert verba S. Andreae ad crucem, quæ in hoc libro ad verbum inueniuntur.

Ioannes à Louanio vir multæ doctrinæ, & iudicii in censura de passionibus sanctorum, quæ habetur in Martyrologio Molani, hanc historiã, vt legitimam, probauit.

Idem fecit Aloysius Lipomanus, vir grauiissimus, qui ex probatis auctoribus vitas sanctorum descripsit. Denique in Breuiario Romano nuper recognitio historia hæc cum de ea inter viros doctos & graues acriter disputatum esset, omnium consensu approbata locum suum retinuit.

Seculum secundum ab Anno 100.

ad 200.

De S. Iustino Martyre. 150.

Post Apostolica tēpora prius eorum, quorum scripta ad nos peruenerūt, videtur esse S. Iustin. Philosophus & Mar-